



Universitätsbibliothek Paderborn

Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark Brandenburg

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1847

LXXXIX. Der Magistrat der beiden Städte Brandenburg bezeugt, daß ein gewisser Hugo Back dem Domcapitel eine jährliche Getreide-Rente in Plötzin und drei Hufen Landes in Tremmen resignirt habe, am 28. ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54048](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54048)

LXXXVIII. Der Bischof Otto schlichtet einen Streit zwischen seinem Domcapitel und dem Kloster zu Lehnin, wegen einer Getreide-Rente, am 13. Februar 1258.

Otto, dei gratia Brandenburgensis ecclesie episcopus — simultatem et controverfiam, que per aliquod tempus inter ecclesiam Brandenburgensem et Leninensem est versata de tricesima annone duarum grangiarum scilicet Wachowe et Goliz, prout officii nostri erat, sedare pacemque inter ipsas ecclesias reformare cupientes, vocatis partibus in nostra presentia, et proposita utriusque causa, nos murum contra impetum hujus opposuimus simultatis, amicabilem concordiam inter jam dictas ecclesias indissolubile vinculum pacis charitatisque statuentes, ut jam dicti fratres de Lenin dominis Brandenburgensibus adducent annuatim et presentent in navim in villa que dicitur Zuchedam, viginti et unum choros, videlicet IX. choros siliginis, III. choros hordei et VIII. choros avene, ipsam annonam Brandenburgensi modio in ipsa navi metientes. Predicti vero fratres Leninenses, ipsam advehentes dominis Brandenburgensibus intimabunt, ut parati recipiant, ne utrique parti offencilum generetur. Preterea sciendum, quod, quamdiu dictam annonam in navim ipsis non presentaverint, quidquid, detrimenti sustinuerint, in damnum Leninensis ecclesie redigetur. Postquam vero in navim presentaverint, si aliquid detrimenti inde venerit, in damnum Brandenburgensium redundabit. De minuta vero decima sic a nobis est ordinatum, ut jam sepedicti fratres Leninenses supradictis Brandenburgensibus dominis annuatim talentum persolvant, pro quo redimendo, cum multum Brandenburgenses cum Leninensibus discordarent, Leninenses XV. talenta denariorum Brandenburgensium persolverunt, et nos Brandenburgensi ecclesie pro dono pacis et concordie talentum assignamus memoratum, et ipsa ecclesia assignatione hujusmodi est contenta. Notandum etiam, quod duo mansi in Goliz doti pertinentes in prefata compositione comprehenduntur. Quicumque vero pars supra ordinatam compositionem infringere attemptaverit, alteri parti XX. marcas pro emenda solvere non obmittat. Ne autem hujus compositionis forma in futurum ab aliquo valeat violari, presentem paginam sigilli nostri nec non et domini abbatis Leninensis appensione et testium subscriptione duximus roborandam. Hujus autem rei testes sunt Petrus prepositus, Henricus prior, Albertus plebanus, Lambertus cellerarius, canonici Brandenburgensis ecclesie, Johannes abbas, Richardus prior, Theodoricus cellerarius, monachi Leninensis ecclesie, et alii quam plures. Acta sunt hec anno domini M^o. CC^o. LVIII^o., pontificatus nostri anno VI., idus Februarii. Datum in Pritzerwe, per manum nostri notarii, magistri Walteri, plebani de Jezere.

Nach der Copie im alten Copialbuche.

LXXXIX. Der Magistrat der beiden Städte Brandenburg bezeugt, daß ein gewisser Hugo Vack dem Domcapitel eine jährliche Getreide-Rente in Plägin und drei Hufen Landes in Tremmen resignirt habe, am 28. Juni 1263.

— prefecti consules et scabini veteris civitatis et nove in Brandenburg — nosse cupimus uniuersos — quod, cum Hugo, civis nove civitatis nostre in Brandenburg dictus Vack, quatuor choros annone in Plotzin de quatuor mansis ad villicationem ejusdem ville pertinentibus ad vite sue tempora et tres mansos in Tremene villa ecclesie Brandenburgensis cum filio suo Hugone

juvene et iam dicto Vack, jure hereditario, si predictum juvenem filios generare contingeret transmittendi in ipsos, ab ipsa ecclesia de manu ipsius ecclesie prepositi jam pridem in feudo tenuisset, ut Arnoldo villico memorate ville in Plotzin quatuor choros annone dictorum quatuor manforum redditus, quos ad vite sue tempora Hugo possederat, prepositus cum suo collegio jure hereditario conferret in feudum, ipsi preposito et collegio juvenis Hugo Vack autoritate patris interveniente, qui filii legitimus tutor exiit, de voluntate etiam amicorum suorum omni approbatione pariter et consensu feudum trium manforum, quod hereditandi jure in villa Tremene tenuerat, resignavit, apud patrem tamen coadjuverit sepe dictorum manforum feudo manente: fatetur etiam idem pater, senior Hugo Vack, quod omnia bona, que ab eadem ecclesia nunc in feudo tenet, exceptis tribus aliis mansis in Tremene, qui uxori sue, quam nunc habet, possidenda conduxerit, sunt collati, per ipsius obitum ad ecclesiam revertentur. Hec prout narrata et scripta sunt, gesta fore, sub sigillo nostro presentibus protestamur. Datum et actum anno domini M. CC. LXIII. in vigilia apostolorum Petri et Pauli.

Nach einer Copie im alten Copialbuche.

XC. Albert, derzeitiger Bischof von Regensburg, trägt dem Propste in Jericho auf, den Geistlichen des bischöflichen Brandenburgischen Sprengels bekannt zu machen, daß Heinrich (von Ostheren) zum Bischof von Brandenburg erwählt worden sei, 31. October 1263.

Frater Albertus episcopus quondam Ratisponensis, viro religioso et in Christo dilecto domino preposito in Jericho Premonstratensis ordinis, Havelbergensis diocesis, salutem et sineeram in domino caritatem. Quia de mandato sedis apostolice electionem factam de magistro Heinricho plebano de Monte, in ecclesia Brandenburgensi, confirmamus et ipsum eadem auctoritate eidem ecclesie prefecimus in episcopum et pastorem, mandamus vobis, quatenus abbates Cisterciensis ordinis, prepositos, prelatos, archidiaconos, canonicos, clerum totius civitatis Brandenburgensis et diocesis ac alios ipsius ecclesie subditos et vasallos moneatis, ut eidem episcopo tanquam patri et pastori animarum suarum cum reverentia debita ac obedientia obediant et intendant. Alioquin contradictores si qui fuerint, quod non credimus, quos ex nunc in scriptis excommunicamus, excommunicatos nominatim publice nuntietis in locis, ubi et quando videbitis expedire, facientes eos usque ad satisfactionem condignam ab omnibus artibus evitari. Datum Brandenburg, anno domini M^o. CC^o. LXIII^o. in vigilia omnium sanctorum.

Nach dem Originale.

XCI. Markgraf Otto verkauft dem Domcapitel das Dorf Stargezer, am 17. November 1264.

— Nos Otto, dei gratia Brandenburgensis marchio — notum facimus — quod domino Lamberto Brandenburgensis ecclesie preposito, suoque conventui pro nonaginta marcis argenti, quas nos recepisse a domino preposito et conventu predictis presentibus profiteamur, in terra Zucha villam XXX. manforum, consensu et approbatione heredum nostrorum in omnibus accedente,